ignorare, aut non cogitare quid deceat & quomodo loquendum sit de rege Christiano, de ~~& quomodo loquendum~~ eo Rege, cui tot annorum amicitia cum Seren^tate^ Vestra intercedit. Venio jam ad opus ipsum, quod provinciam mihi demandatam spectat, nempe à 2^do^ ad 7^m^ libri, quæ pars operis, quid aliud est, quam contumeliarum calumniarumque foedissima congeries? Nam præter maledicta in Elizabetham Reginam inclytæ memoriæ & in Serenissimi Regis mei majores è regali gente Stuartiâ effusa, præsertim in avum & patrem, quos & obscuros dicit, & propter hæresin apud Christianos infames, in inferno cum scelerato Juliano Apostata sepultos, præter obtrectationem juramenti fidelitatis, ac si excogitatam esset ad homines illaqueandos, præter sævitiam in religionis Romanæ cultores objectam, in sacerdotes vero lanienas plusquam parricidas /: quæquam falsa sint, res ipsa loquitur :/ calumniator iste adeo nullum virulentæ audaciæ modum statuit, ut non erubescat, eidem Serenissimo Regi Phalaridis immanissimi Tyranni nomen tribuere, eâdemque verborum asperitate in ipsum abuti, quâ D. Hilarius libro, qui incipit: Tempus loquendi, in Constantium Imperatorem ~~Arianum~~ invehitur, quem vocat persecutorem fallentem, ~~...~~ blandientem, Antichristum, tyrannum, cum Nerone, Decio, Maximiano comparat, objicit, quod Christianum se mentiatur, et quod condat fidem, contra fidem vivens, denique ita exclamat: Scelestissime mortalium omnia persecutionis mala ita temperas, ut excludas in peccato veniam & in confessione martyrium. Quæ omnia & hujusmodi reliqua ibi adducta, Cicklocius in Serenissimum Regem mutato nomine apertissime convenire affirmat, excepto Ariani titulo. Porro perfidiam & parricidium objicit, quæquam impudenter, quam scelerate comminiscatur, universum orbem christianum, & hostes ipsos fidei Christianæ testes appello. Præterea petulantissimas ironias & sarcasmos. Illud vero, quid præterire liceat ~~quod~~ eos, qui ob conspirationem pulverariam /: quæ nescio an ulla fuerit post homines ~~sibi suffragio ita exornet præclarus iste Censor & novus Vocabulorum interpres~~, quos demum natos

in

quod